

Caput V.

De obseruatione motuum planetarum: vbi de nouis
nostris Hypothesibus.

IAM demum peruenimus, Diuinâ fauente clementiâ ac gratiâ, ad præcipuè nobis propo-
situm, atq; præfixum nobis scopum & institutum nostrum, nimirum ad nouas nostras, nec
non veras ac naturales Hypotheses motuum planetarum, seu corporum Mundanorû, quas
ante elapsam iam ferè triennium in extremo quodam angulo amplissimi regni Poloniae exco-
gitauimus, posteaq; Illustrissimo Principi Hassiæ obrulimus, cuius summus artifex Iustus Byr-
gi Heluetius easdem oblatas Hypotheses ex orichalco extruxit. Earumq; Hypothesium admi-
niculo quiuis homo priuatus, suæ domi, minimoq; ere impenso tale instrumentum Astrarium,
vt vocant, extrui curare potest, quod nò solum modo medios seu æquales planetarum motus,
vt pomposa quedam ac sumptuosa magis quàm artificiosa instrumenta vel Horologia duntax-
at (idq; vix ac ne vix quidem) factitare solent : sed etiam veros ac apparentes motus om-
niium corporum Mundanorum satis exactè indicat atq; commonstrat : imò longè exactiùs,
quàm omnes omnium tabularum supputatarum centuriæ atq; myriades: Eas namq; ex falsis
& fictitijs Hypothesibus extructas atq; consutas, ideoq; (vt & ipsæ obseruationes conuin-
cunt atq; docent) & falsissimas esse, suo tempore in nostrâ Astronomiâ Demonstrabimus.
Idcirco tale inauditum priùs, omnibusq; seculis planè ignorû artificium tradituri, spectan-
dumq; toti terrarum orbi exhibituri, de facilitate nimirum obseruationis & calculationis
omniium motuum Mundanorum corporum, seu mobilium rerum in Mundanâ compagine
existentium, visum fuit, vt ipsam rem solito nostro more aliquantò altiùs, & ab ipsâ Munda-
nâ compage seu systemate totius naturæ, omniumq; rerum naturalium comprehensione atq;
eiusdem Definitione exordiamur.

Theses Astronomicæ: De Mundo ac mundanorum corporum
motibus, deque nouis Hypothesibus.

I. Mundus est systema rerum naturalium per se existentium: vel omnium rerum na-
turalium, inq; totâ rerum naturâ existentium compages seu comprehensio. Omne enim id,
quod in rerum naturâ existit, vno nomine comprehensum, constantissimè ac vnanimiter ab
omnibus, Mundus dici solet.

II. Ipsèq; Mundus, seu totum naturæ systema, distinguitur in aërem, & in aëre
pendentia corpora, quæ corpora Mundana dicuntur.

III. Aër est Essentia tenuissima & subtilissima: eaq; quò à terreno globo remotior
vel sublimior, eò immobilior, tenuior ac subtilior: contraq; quò terræ propinquior seu humi-
lior, eò mobilior, crassior ac densior existit.

IV. An verò ipse aër sit finitus an infinitus, à nemine mortaliū adhuc exploratum
aut Demonstratum est: Quæ enim physici nugantur de cœlestibus orbibus, quibus stellas esse
infixas opinantur, deq; igne cœlesti, quem ignem & non ignem esse ambigüè affirmant, hæc
inquam, omnia vana putæ, figmenta & somnia sunt.